



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabellam Natalis Iesu. Naturæ humanæ nænia. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

HVMANAE SALVTIS
AVRORA DIEI NVNTIA.

Dona Deus quanto soleat splendore parare,
Si quisquam obseruet tempora, testis erit.
DEO PROSPECTORI SAC.

In tabellam Natalis Iesu.

Natura humana nania. XXXVIII.

Virgineo splendens infans vt prodiit aluo,
Atque illa sa dedit templa pudicitiae:
Quae iam vteri intacti stupuit NATVRA tumore.
Nunc pauet insolitum laeta puerperium.
Atque nouum mirata genus, variis quoque gaudens,
Blandidulos fertur concinuisse modos.
Excellis mea iura puer, quod gigneris, aut quod
Nasceris; at meus es quod puer & tener es.
Ergo me superas, sine me qui nasceris infans.
Quod si me superas, es puer ergo Deus.
O puer & certè Deus, o mihi iungeris, vt te
Partibus excipiam, muneribusque meis.
O Deus, & verè puer, o tibi iungor, vt aucta
Amplius ipsa tuo numine perficiar.
Accipies ex me curam puer, atque labores,
Mortis onus (tibi sic quod placet) accipies.
A te ego, sed pacem Deus, accipiámque salutem,
Et posse aeternae rumpere vincla necis.

SOL IYSTITIAE EXORIENS.

In tenebris fulgens lumen, diuináque dona
Simplicitas cernit: non videt ambitio.

HVMANAE SORTIS SVSCEPTORI
DEO HOMINI S.

In tabulam circumcisi Iesu.

Ode Tricolos Tetrastrophos. XXXIX.

Q Vis te, sancte puer, flere doloribus
Maturis docuit? scilicet aethere
Descendisse iuuabat,
Vt discas gemitus nouos?

Sed